

Ph35

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ORIGINIBUS MEDICINAE ARABICAЕ SUB KHALIFATU,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS RUDOLPHI THORBECKE,

Jur. R. et H. D. et Prof. ord.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

in Academia Lugduno-Batava

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

Aloïsinus Sprenger,

TYROLENSIS,

AD DIEM XII Junii MDCCXL, HORA II — III.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. & J. LUCHTMANS,

Academiae Typographos.

MDCCXL.



LIBRARY OF THE MUSEUM OF ANTIQUITIES

23

UTAHORN DES RÄTSCHELS DER HÖHLE DER WILDENS

1840

ANNA OMNES ET ALIA

LIBRARY OF THE MUSEUM OF ANTIQUITIES

BRUNSWICK, FEBRUARY 1873.

THE LIBRARY OF THE MUSEUM OF ANTIQUITIES

24



PRAEFATIO.

Studiorum medicorum curricutum rite transgressus, et multum in Nosocomiis Londinensis Parisiensibusque versatus, honores in hac arte in aliqua celebri universitate ambire constitui. Et ecce cum Lugduni Batavorum morarer, ut Codices Arabicos perlustrem, me rogantem doctissimi facultatis medicae viri ad examina admittere non dubitarunt.

Quod mihi tanto gratius fuit, quo majori haec academia celebrata sit fama. Nam in Batavorum fortitudinis praemium fundata, H. GROTI, BOERHAAVE et tot, tantorumque aliorum virorum nominibus clara, sequens, quae sunt in literis recentia, pristinam semper munit gloriam. Tum multae aliae scholae medio aevo clarae, (ut universitas Pragensis,



*Viennensis atque scholae Italiae) illius aevi ignorantiam prae-
servant, famam vero perdunt et, ludim agrorum imperio puerulis instruendis
vix satis dignae evaserunt.*

*Nunc vero tentaminibus probatus, animum
ad thesim elaborandam advertere debeo. Cu-
pio ex Ibn Djuzi opere de medicinā pure Ara-
bicā (non Graecē-Arabicā) excerpta in lucem
proferre; sed exemplum meum hujus operis
pulcherrimum Londini jacet; ego vero adeo
temporis angustia premor, ut vix tres mihi
sint dies ad omnem thesim scribendam: ideo-
que ad haec scribenda me accingo, quibus plu-
rimam operam navaveram, et quae a nemine
adhuc bene illustrata sunt.*

*Quae vero hic nimis breviter absolvo, in
prolegominibus ad Mas'udi Anglice versum
a me edendum, fusius tractabo, nam omnibus
schedulis excerptorum meorum Londini relictis,
de historia literaturae satis copiosis, solummo-
do memoria in auxilium venit.*



ORIGINES MEDICINAE ARABICAE.

(DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.)

Omnis scientia medica, florentibus Arabum rebus, tribus praecipue hausta fuit fontibus. E priscorum Arabum experientia, ex Persarum Indorumque scholis, et ex Graecorum scriptis:

I. De priscorum Arabum experientia.

Arabiam Felicem antiquissimo tempore ad magnam culturam elatam fuisse, conjunctis Bibliorum Sacrorum (1), traditionum Persarum in Schahnamo (2) depositarum, atque auctorum Graecorum et Romanorum (3) testimoniis ostenditur.

-
- (1) In historia reginae Sabae, quam Arabes Bilkisam appellant.
 - (2) Gloriosum censebatur, tribus Feriduni regis filiis tres filias regis Arabiae Felicis nupsisse.
 - (3) Auctor libri »periplus» tria ibi recenset regna; sed tunc temporis res Himjaritarum jam occidisse



Perierunt quidem, paucis poematibus exceptis, omnia monumenta literaria Himjaritarum, sed rui-
nae (1) inscriptionibus charactere Mosnad (2) ap-
pellato, repleteae, eos literas coluisse produnt.

Fides igitur habenda est auctoribus Arabicis (3), qui Himjaritarum antiquitus in Arabia Felice flo-

credendum est. Inter Romanos dívitias Arabum in proverbium abiisse ex Horatio liquet (Ep. I. 7. 36):

• • • • • nec

Otia divitiae Arabum liberrima muto.

(Odar. II. 12. 24):

Plenas aut Arabum domus.

(Ibidem I. 29. 1):

Ieci, beatis nunc Arabum invides
Gazis

Vide eundem poëtam, Od. III. 24. 2, et Epist. I. 6. 6.

(1) Omnim ruinarum celeberrima thronus Bilkisae (Salomoni nuptae) vocatur, atque, ut ex geographia tur-
cica Djihannuma patet, aquaductus fuit.

(2) Inscriptiones Himjariticas primus Seetzen notas fecit (Fundgruben des Orients), plures nuper Wellsted invenit. — Loco etiam scribitur, quasi ex Sind (India occidentali) originem traxerint haec literae. Codex geographicus perantiquus (in Museo Britannico) perhibet, literis (و) et charactere mos-
nad et numeris arithmeticis usos esse Himjaritas: unde mosannad characteres lapidares a literis communib-
us diversos fuisse, conjicio.

(3) Jam Moawija primus Omajjidarum virum historiae
gnarum ex Jemane accersivit, ut res gestae Arabiae
memoriae mandarentur (ita in Fehresti Vol. I, Parisii
asservato, legitur).

ruisse regna , narrant . Haec gens colonias in Ar-
abiam Petraeam (Themud) et in Jemamam (Djedis et
Djesm) misit , ut vias regias in Syriam atque per
Hiram in Persiam ducentes custodirent .

Aad victorious usque ad Columnas Herculis pro-
gressus est , Dhohak (Nimrod) , omni Perside subacta ,
inscriptione Himjaritica posteros certiores fecit , se
Samarcandam muris cinxisse , atque inde rediens
in Babyloniam sibi sedem exstruxit , Belis templo et
pyramide , ut in Aegypto sacro cultui destinatâ
(turri Babylonica) , insignem . — Fortasse hinc Ara-
bica lingua ad Euphratem vernacula est .

Sed luxuria post longam annorum seriem debiles
facti Himjaritae , praedandi causa irruentibus ex de-
sertis pastoribus , ultra resistere non valuerunt ,
atque ab his direpti , tandem Persarum Aethiopum-
que dominationi subjecti sunt , ita tamen ut Sana'a ,
quae , Sabâ aquis ut dicunt destructâ , metropolis
fuit , nec scientiis nec artibus careret .

Fracta tali modo Arabum libertate in Jemane ,
Koraischitae , qui inter Beduinos Hidjazi principatum
tenuerunt , et Temimitae , qui omnem Arabiam orien-
talem possederunt , libertatem suam strenue custo-
dierunt , omnemque mercaturam sibi vindicaverunt
ita , ut artibus carere non potuerint . Commercium
inter eos fuit frequentissimum , nam ad nundinas
convenerunt , quarum loca ita erant disposita , ut
inciperent in Tehama , circumirent per Jemanem , Mo-
scatam , Bahreinum et Arabiam Petraeam , omnem pe-
ninsulam volente anno , atque venirent in urbem
Meccam ad sacra colenda in mensibus sanctis (1) .

(1) Ibn-Kotaiba itinerarium exhibet , quod si opus mihi
l *

Hic rerum status continuavit donec Mohammed, divino spiritu ipsi insito motus, Arabum genus ad summa evexit, quae societas humana attingere potest.

Hucusque de Arabum priscorum historia civili, cuius summa haec est: Jeman est prima patria omnium gentium Semiticarum, ubi cum ad magnam jam vitae culturam pervenissent, multi patriam relinquentes circumjectas incoluerunt terras. Inde immensa illa in Aethiopia atque Babylonia monumenta culturae antiquissimae Jemanis testimonia sunt.

Nulla, ut diximus, exstant priscorum Arabum monumenta literaria. Immo testimonia de hac re sunt rara nec satis certa, uipote ex tantâ antiquitate! Plinius (Lib. VII. cap. 56) quidem dicit, quosdam credere, artis medicinae inventorem *Arabem* esse; et Arabum traditio Idrisum sibi vindicat, qui, ut Hermes inter Persas, Thout inter Aegyptios, omnium artium praecipue vero medicinae pater fuisse dicitur. Sed haec omnia non sunt historica,

ad manus esset describerem: nam omnis inde vita
تَقْلِبُ, ut Coranus id exprimit) eluet. Mira est
auctorum diversae aetatis concordantia in Arabiae
viis regiis describendis, ita ut Plinius (qui ex Qua-
tremieri libello de Nabathaeis corrigendus est), Ptole-
maeus, et hac in re luculentissimus Ibn-Khordadbeh
antiquissimus Arabum geographus (in Bibl. Bodl.),
ac recentissimus Hadji-Khalsa in Djihanumna easdem
vias describant.

Hoc tamen certum est quod ex urbanitate morum luxuria et ex luxuria morbi gignantur. Experientia vero facit medicum. Dubio procul igitur multa in medicina invenerunt Arabes prisci, quae multo commercio mox eorum coloniis atque Aegyptiis et Indis innotuerunt, quorum scientia Arabes iterum locupletati sunt. Crescens tali modo scientia tandem ad Graecos pervenit.

Hanc ob caussam invenimus jam apud Dioscoridem omnia pharmaca, quae Arabia praebet, et quorum Arabes inventores fuisse debuerunt, antequam ad exteriores veherentur nationes, ut *Resinam* (Diosc. I. 91; Plin. XIV. 20), *Thus* (Diosc. I. 81; Plin. XII. 14),

Myrrham, cuius nomen etiam ab Arabico ^{میرہ} derivatum est (Diosc. I. 77; Plin. XII. 15.), *Ladanum*, ab Arabica voce ^{لادن} (Diosc. I. 128; Plin. XII. 17), *Lapidem arabicum* (Diosc. V. 148; Plin. XXXVI. 22). Ricimi nomen graecum ^{ریچمی} *αροτόν* ab Ar. ^{مرجع} (Diosc. IV. 161). Non dubito, quin plurima alia medicamenta in Dioscoride atque Galeno et Paulo Aegineta inventurus essem, quorum nomina atque usus ab Arabibus sint repetita, si mihi esset quaerendi otium. Sed speciminis gratia haec sufficiunt. Splendida lux olim orietur omni historiae, praecipue vero medicinae, si opera Sanscritica, Sinica et Arabica, de materia medica vertentur et inter se comparabuntur, ut eluceat, quam cito pharmaca et eorum usus ab uno populo ad alium transierint.

Sed ex operis argumento mihi demonstrandum est, scientias medicas priscorum Arabum ad posteros pervenisse. Jam indicavi, Sana'am dirutis *Himja-*



ritarum rebus sedem imperii fuisse neque scientiis caruisse, praeterea principatum ad Koraischitas abiisse, qui moribus urbanioribus usi sunt. Quantum vero medicinae studuerint, ex vita Harethi (الحارث بن كلد الشفقي), ab Ibn-Abi-Osaibi'a narrata, discimus. El-Hareth, in urbe Tajifo non procul a Mecca ex Koraischitarum tribu natus, absolutis in schola ac nosocomio Djondisaburi studiis, per Indianum itinera fecit et postquam aliquamdiu in Perside medicinam exercuerat et divitias sibi paraverat, Sana'am petiit discendi causa.

Postea filium suum Nadhrum (النضر), qui in pugna ad Bedrum occisus est, Sana'am misit, ut medicinam disceret.

Sana'ae igitur scholam medicam fuisse nec Koraischitas medicis caruisse, quorum memoria perierit, hinc in dubium vocari non potest: nam etiam Harethi et Nadhri nomina oblivioni essent tradita, nisi Mohammedi aequales fuissent. Caeterum tam multae voces ad medicinam spectantes, pure Arabicae atque antiquissimae, exstant, ut hae quoque monumenta sint artis medicae cultae nec umquam prorsus oblivioni datae (1).

(1) Dr. TYTLER in praefatione ad versionem suam Arabicam anatomiae fatetur, se multo plures in Arabum operibus voces anatomicas invenisse, quam expectasset. Paene omnibus morbis sunt nomina Arabicæ, sed medici saepius graecis utuntur, ut nos facimus. Ego solummodo tales voces pro exemplis hic adduxi, ex quibus Hebraei suas fecere, ut antiquitas inde pateret: אַשְׁל בָּטָם — בָּטָם נָא בָּטָם —

Verosimile est, ita accidisse, ut cadentibus jam
Himjaritis, quae usu maxime probatae fuissent, me-
dicinae leges posteri religiose colerent et superstitio-
ne miscerent postquam eas intelligere desierant.

Gaeterum medica ars sequitur morbos, qui sunt
inter Beduinos rari et simplices (1).

Antequam de Persis Indisque scribere incipiam,
Chaldaeorum mentionem facere oportet, qui Baby-
lone ab Alexandro M. destructa in montes prope
Mosulam sese receperunt, ubi nomine subjectionis
suis legibus et libertate fruebantur et adhuc fruun-
tut. Sunt homines agrestes, at aliquos tamen anti-
quissimos libros habere, vir quidam, Chaldaici
(Nestoriani) sacerdotis filius, mihi dixit. Sed jam
ابو بكر احمد بن علي (ابن قيس الكسدايى المعروف ببابن وحشية)
refert, eos magnos aliquando fuisse in literis, suo tamen
tempore (a. Arab. 291) nonnisi memoriam superesse.
Ipse tamen aliquos libros apud Chaldaeum quendam
invenit, quos Arabice vertit, ac Bibl. hujus Aca-

תְּرֵבִנְתָּה גַּרְגִּיר — אֲרָן אַרְן eruca —

דְּלֻעָה דְּלָע — שְׁקָמֹת גְּמִיזָה anguria

לְאַן מַוְרָדָר מַרְדָּר — מַרְרָה pulvis myrrae

לְאַן לָדָן ladanum.

Plura exempla lector in Bocharti Hierozoico et
Olai Celsii Hierobotanico inveniet.

(1) L. BURCKHARDT » on the Bedouins" nonnisi Rheu-
matismum recenset, quem cauterismis tollunt, febrem
inflammatorm et variolas.

demiae duorum operum ab illo versorum exempla possidet (N°. 1915 et 771).

Unum de agricultura agit (كتاب الفلاحة النبطية) , in quo fuse de regno vegetali loquitur auctor , multaque ad medicinam spectantia in medium profert , praecipue de pecoribus curandis . Adeoque hoc opus laudatum est Arabibus , ut quicunque hac de re scripsit , Ibn-Wahschijà maxime uteretur . Alterum integrum de medicina agit ; nam est toxicologia (ذى السمو) ، quae quidem multa superstitiosa sed et multa continet quae usui sunt et digna quae vertantur . Auctor praecipue Jarbukaum ياربوقا antiquum Chaldaeum et Suhabum سوھاب recentiorem duces se esse sequitum profitetur , nec non pluribus libris Arabicis atque ex Graeca , Sanscritica atque Persica lingua versis usum esse . Primo de distinctione veneni et cibi aliisque rebus generalibus agit ; procedit deinde ad venena describenda , quae hominem ea intuentem occidunt ; sequuntur quae audi- tem necant ; tandem ea , quae sapienti et gustanti lethalia sunt , describit cum eorum antidotis usuque medicinali : ita ut major pars libri de therapeutica agat .

**II. De libris medicis , qui ex Persica
atque Indica lingua Arabe
versi sunt .**

Supervacuum esset historiam repetendo probare , Persas et Indos medicinae fuisse gnares , atque Arabes ex eorum peritia quaedam derivasse ; nam quorundam librorum nomina proferri possunt , qui versi fuerunt , et in quibusdam nominibus non solum

modo clare Sanscritica origo cernitur; sed opus ipsum in lingua originari adhuc superest. In Fehrest nonnisi unus liber medicus continetur ex Persica lingua in Arabicam conversus:

كتاب کناش تیادورس Theodori symtagmata.

Auctor fuit Christianus tantoque habitus honore a rege Dhul-Aktaf (aut ut alii dicunt a Behramgur), ut ecclesiam ipsi construeret.

In Fehrest etiam Tiaduk تیادوق medicus Hedjadji B. Yusuf praefecti Iraceae et Persiae (ad finem seculi primi H.) inter medicos Persicos refertur; pro librorum ejus nominibus locus in codice vacat, qui ex Ibn Abi Osaibia repleri posset; sed primum volumen ejus operis non est in Bibl. hujus Academiae. In «vitis philosophorum» legimus, eum plures discipulos habuisse inter quos Feran B. Schah-natha فران بن شحنا ثا qui tempore Khalifae el-Man-sur mortuus est, nominatur.

Ibn Wahshija (Cod. Bibl. Lugd. Bat. 771) narrat, se vidisse in urbe Ispahan toxicologiam Persicam

كتاب المتوضّح في السموم

Idem auctor etiam pro Chosroe Anuschirwan opus hujus argumenti compositum esse refert, triginta libris divisum. Praeterea meminit libri كتاب الاعلام الخمسة a quodam rege Persico de venenis scripti; et libri de agricultura Persica. Sed num hi libri Arabice versi sint nec ne, non constat.

Hie scholae ac nosocomii urbis Djondisabur minimisse decet (1).

(1) Ex vitis philosophorum in compendium redactis ex majori al-Kefti القسطي opere fol. 72 (Bibl. Lugd. Bat. 159).

Haec urbs a Sapor B. Ardeschir in gratiam uxoris suae, Graecorum imperatoris filiae, ad normam Constantinopolis aedificata est. In magna Graecorum turba, qui ibi convenerunt multi etiam medici fuerunt, qui medicinam docuerunt. »Haec schola mox clara facta est, scientiis polluit easque augmentavit. Canones artis medendi fixerunt coeli tempe- riei adaptatos. Methodum praecipue Graecam atque Indicam secuti sunt; nam cujuscumque systematis, quae bona essent, elegerunt atque ipsorum observationes ad antiquorum labores addebant. Casuum observationes scriptis mandaverunt et regulas generales inde deduxerunt, quos in libros redige- runt, eligendo optima

رَبُّوا لَهُمْ دِسَاطِيرٌ وَقُوَّانِينَ وَكُنْتُمْ جَمِيعًا فِيمَا كُلُّ حَسَنَةٍ

Anno vicesimo regni Kosri medici hujus urbis mandato regio congregati sunt, atque solemini con- cione quaestiones proponebantur de quibus disputa- batur. In medio concionis erat Gabrielis Dersetbad جَبَرِئِيلُ دَرْسَتْ بَاد nam regis erat medicus; secun- dum locum el-Tasiufistami التسْعِيفِسْطَامِي tenuit ejus- que socii et Juhanna يُوحَنَّا et multi medici alii. Cum el-Mansur fundamenta urbis pacis (Bagdad) jecisset, ex schola Djondisaburensi medici ad aulam vocati sunt, quandocunque aliquis principum morbo laboravit. Sed postea Khalifa medicum habuit, cui nonnisi eo permittente alium aegrotum curare licuit.

جُورْجِيُوسْ نَاجِيَشْوَعْ (sic in cod. legitur). الْجَنْدِسَابُورِيُّ ابْوُ الْحَتْشَمْع ab el-Mansur Bagdadum vocatus est (A. H. 148), ut eum a ventriculi debilitate sanaret. Quo facto

domum fixit Bagdadi, nosocomio filio suo commiso. Sed non diu post ipse in morbum incidit atque in patriam rediens succubuit. Scripsit librum, quem syntagma كتاب الكناش appellavit. — Clarus fuit etiam ejus filius Bakhtischua بن جورجيس بختيشوع ab aliis ejusdem nominis medicis distinguendus, nosocomii Djondisabur medicus unde Bagdad accersitus est, ut sanet Khalifam el-Hadi et cum in patriam suam rediisset iterum ad er-Rashid aegrotantem vocatus est A. H. 171. Scripsit librum de medicina in favorem filii sui Gabriëlis, qui postea medicus er-Rashid Khalifae evasit, et patrem medicinae scientia atque auctoritate superavit, Galenum vero nimis coluisse videtur.

Isa B. Sehanbakht (عيسى ابن صهان بخت) fuit discipulus Georgii Ben Yahshua (Bakhtischua). Vocatus ad Khalifam Mansur ad aulam accedere noluit discipulumque Ibrahim misit, ipse vero in nosocomio remansit. Scripsit de simplium usu ordine alphabeticō قوى الأدوية كتاب المفردات.

Isa B. Schehlaf (عيسى بن شهلاف الجندسابوري) ejusdem Georgii discipulus postea el-Mansuri medicus a quo nimio honore habitus est, sed postquam cum Metropolitano Nisibensi perfide egisset contra Khalifam, bonorum suorum privatus atque severe castigatus est.

Sapor B. Sehl Christianus (سپور بن سهل) medicinae peritissimus, et nosocomii Djondisaburensis medicus. Mortuus est 255 A. H. et reliquit كتاب أقرباذيين المعهوم عليه في البيمارستانات ود كاكين الصيادلة

Formulas medicamentorum compositorum, quae
in nosocomiis et apothecis in usu sunt; 22 capi-
tibus.

كتاب قوى الاطعمة ومصادرها ومتناعها

Alimentorum virtutes, usus, et damna.

Hi viri omnes post Islamismi initia vixerunt, ideo-
que plerumque Arabice scribebant. De medicis hu-
jus scholae, qui ante Mohammed clari fuerunt, ni-
hil constat; nam Arabici auctores omnia, quae ip-
sorum religione sunt antiquiora, aut neglexerunt,
aut ignorarunt. Neque, num antiqua Persarum
medicina in hac aut in alia schola culta sit, necne,
auctores meminerunt. Materia medica Arabica et
Graeca scalet nominibus Persicis, ita, ut veteres
Persae medicinae ignari non sint credendi.

Si haec schola nonnisi Graecos paeceptores Ga-
leni sistema docentes habuisset, parum pro historia
literaturae ejus interesset; nam Galeni doctrina ex
sui ipsius scriptis satis nota est. Sed a primordiis
multos Indos eo venisse atque antiqua opera medica
vertisse ex el-Kesti et ex Fehrest scimus (I).

(I) SPRENGEL (*Geschichte der Arzneikunde*) omnino
nescivit Indos Djondisaburii docuisse. Primus ill.
Cureton ex Ibn Abi Osaibia Kanka et Saleh B. Behlah
Indi vitas societati Asiaticae notas fecit atque doctissimus
Wilson titulos Sanscriticos Arabicis respondentes
in medium attulit. Sed cum nec Ibn Abi Osaibia
volumen primum habeam, nec sciām unum Curetonii
labor impressus sit, comparare non possum librorum
nomina cum codice Fehrest.

In horum numero fuit Ibn Dahn , alii solummodo
eorum operibus noti fuerunt Arabibus ut :

Kanka وقيل كيكه الهندي antiquissimum
Astrologum fuisse abu Maascher scribit , ejusque
opera , quorum titulos exhibemus praecipue ad hanc
artem spectant

كتاب النموذج في الاعمار وكتاب اسرار المواليد وكتاب
النقوشات الكبيرة والصغرى

Saleh B. Bahlah صالح بن بهلة الهندي fuit medici-
nus aula Khalifa er-Raschid , ubi Indicam me-
dendi methodum sequentus est , quos libros scripse-
rit aut verterit non inveni.

LIBRI INDICI DE MEDICINA ARABICE VERSI.

كتاب سمسود opus decem capitibus distinctum in
syntagmatum modum scriptum atque jussu Jahja
B. Khaled imperante Raschid ab Mikah vel Mankah
منكه aut ميكه Indo nosocomii medico versum.

كتاب سرك ex Indica lingua primum in Persicam
et inde ab Adullah B. Ali Arabice versus est liber.

كتاب أسانكم الجامع

Hoc opus ab Ibn Dahn بن دهن Arabice versus
est.

كتاب سندستاق معانى صفوون الناجح

A Ben Dahn nosocomii medico versum

كتاب مختصر في العقاقير للهندي

Materia indica parva

كتاب علاجات البحبala للهند

Remedia Indorum praegnantibus utilia.

كتاب توصيل فيه مایه دا و مایه دوا

Hic liber continet centum morbos et centum remedia a Taufestal (?) Indo.

كتاب زندى الهندية فى علاجات النساء

A femina Inda de medicina mulierum scriptus liber.

كتاب السكم للهند

Liber de Saccharo.

كتاب حقائق الهند فسر منكه لاسحق بن سليمان

Nomina pharmacorum vertit Manka pro Ishak Ben Soleiman.

كتاب ناي الهندى فى اجناس البحببات وسمومها

Liber Bai Indi de serpentum generibus atque eorum veneno.

كتاب التوهم فى الامراض والعلل لتوهستل الهندى

Meditationes de morbis eorumque causis ab Indo Taufistal (?).

III. De medicina Graeca Arabicæ civitate donatâ.

Primus medicus Graecus, qui arte sua inter Moslimos quaestum fecit, ad venifica perpetranda,

se conduci, passus est, a Moawiyah ejusque prolibus, scelestissimo mortalium: et tam scienter artem suam exercuit, ut omnes, qui illius temporis historiam nobis reliquerunt, quererentur, quod tam multi viri principes veneno perierint. Sed mox gladio interierunt Arabes, postquam opibus animi eorum serviles redditi, et tali modo potestas regia firmata esset. Nunc tandem crescentibus hominum miseriis, quibus possent, mederi conati sunt medici.

Sed Arabes non solummodo medicinae beneficia experiri; sed etiam ejus arcana intelligere studentes, ut in ipsorum linguam transferant libros Graecos, hortati sunt viros utriusque linguae gnos. Et tantus mox fuit ardor pro medicina, ut unus Khalifarum (el-Mamun, ni fallor) librum in hanc artem conscriperit. Idem Khalifa legatos, quos Constantinopolem misit, libros sibi adferre jussit (1).

Ego hic nonnisi illos libros ex Graecis Arabicos factos nominabo, quos in libro Fehrest invenio. Nam magna est lis inter posteriores auctores de versionum diversarum auctoribus, quae solummodo aequalis auctoritate bibliographiae peritissimi solvi potest (2).

Omittit etiam omnium librorum titulos, de qui-

(1) Abulfaragius pag. 246.

(2) Auctor el-Fehrest, est محمد بن أبا حفص التلبيم المعروف بابي الفرج بن أبي يعقوب qui 377 A. H. scripsit et 385 mortuus est.

bus auctor non dicit, eos versos esse in linguam Arabicam; nam, cum Ishak Ben Honain historiam medicorum (تاریخ الاطباء لاسحق بن حنین) ex Graecis auctoribus conflasset, satis bene norunt Arabes scripta medicorum Graecorum, etiam quae nunquam Arabice redditum erant.

Primo versiones Arabicas librorum Hippocratis recensemus. In iis plura opera ab Akermanno (1) spuria habita, quam genuina, deprehendimus.

VERSIONES ARABICAE LIBRORUM HIPPOCRATIS.

كتاب العهد بقرط foedus Hippocratis (an est liber spurius, quem « legem Hippocratis » appellant?) Honain ex Graecâ linguâ in Arabicam transtulit suas addens observationes. Eundem librum etiam Hobaisch et Isa Ben Jahja verterunt.

كتاب الفصوص Aphorismorum libros septem cum Galeni commentariis Honain in usum Mohammed Ben Musa Arabice vertit.

كتاب تقدمة المعرفة Prolegomen ad scientias Arabicę versum est ab Honain. Isa commentarios Galeni in hunc librum Arabicos fecit.

كتاب الكسر De fracturis libri quatuor, quos Galenus commentario illustravit et Honain unacum Galeni commentario Arabicos reddidit.

(1) In editione Hippocratis per KUHN.

كتاب أمراض الحاده، De morbis acutis libri quinque cum Galeni comm. Tres libri ab Isa Ben Jahja Arabice versi sunt.

كتاب جراحات الرأس، De vulneribus capititis liber unus, quem Galenus commentatus, in primam (sectionem) tres libros scripsit, in secundam itidem tres; ad quartam, quintam et septimam commentaria non adjecit, ad sextam vero octo scripsit libros, quos omnes Isa Ben Jahja Arabice vertit.

كتاب الاخلاط، Librum de humoribus cum Galeni commentario vertit Isa Ben Jahja in usum Ahmed (Mohammed) Ben Musa.

كتاب قاططون، De medici officinâ (1) libri tres, quos Honain in favorem Mohammed Ben Musa Arabice vertit una cum Galeni commentariis.

كتاب الماء والهواء، Liber de aquâ et aere (et locis) cum Galeni commentariis Arabice versus est ab Honain, novum commentarium adjecit Hobaisch Ben el-Hasan.

كتاب طبيعة الانسان، De naturâ hominis libri tres, quos Honain cum Galeni commentario Arabicâ civitate donavit, et Isa Ben Jahja illustravit.

(1) Epitome operis el-Kesti » de philosophorum vitis» fert ita، فاصيطر عن ut comparando utramque lectio- nem aequaliter corruptam (κατ' ιηροειν) restitui possit.

VERSIONES ARABICAE OPERUM GALENI.

كتاب الفرق، *Divisio*, liber unus, quem Honain Arabice vertit, (fortasse idem liber est ac » de partibus artis medicae »).

كتاب الصناعة، *In artem (medicam)* liber unus ab Honain Arabice redditus.

كتاب الى طورم في النبض، *Liber ad Thesitram de pulsu*.

كتاب الى اغادوسن في التئاتي لشفاء الامراض *Ad Glauconem de medendi methodo*. Libri duo, ab Honain Arabici facti.

كتاب المقالات الخمس في التشريح *de anatomia*, quos Honain vertit.

كتاب الاستقصان *De elementis (στοιχεῖοι)* liber unus ab Honain versus.

كتاب القوى الطبيعية *De facultatibus naturalibus* libri tres, quos Honain vertit.

كتاب المزاج *De corporis constitutione libri tres* ab eodem Honain versi.

كتاب العلل والاعراض *De affectibus et symptomatis libri sex*, quos Hobaisch vertit.

كتاب تعرف عمل الاعضاء الباطنة *Diagnostica morborum*, qui in partibus internis sedem habent. Libri sex ab Hobaisch Arabici facti.

كتاب النبض الكبير *Opus majus de pulsibus*, cuius

libros quindecim et sectiones quatuor Hobaisch ;
unum vero librum Honain Arabice verterunt.

كتاب الحميات، De febribus libri duo ab Honain
versi.

كتاب أيام البحار، De diebus criticis libri tres ,
quos Honain Arabicos fecit.

كتاب حيلة البر و
Fabrica creaturae, libri quatuor-
decim. Hoc opus ab Hobaisch Arabice versum
est. Priores sex libri hujus versionis ab Honain
et octo posteriores eodem modo a Mohammed
Ben Musa castigati sunt.

كتاب تدبیر الاصحاء، Regimen sanorum (de sani-
tate tuenda) libri sex , quos Honain Arabice
vertit.

كتاب التشريح الكبير، Opus majus de anatomia.
Honain non prodit nomen , qui hoc opus verterit ;
sed vidi (dicit auctor libri el-Fehrest) exemplar
versionis Hobaischiae.

كتاب اختلاف التشريح، De differentia in anatomia
libri duo , quos Hobaisch vertit.

كتاب تشريح الحيوان الميت، Anatomiae animalium
mortuorum liber unus , quem Hobaisch vertit,

كتاب تشريح الحيوان الحى، De anatomia anima-
lium vivorum libri duo , quos idem Hobaisch
transtulit.

كتاب علم بقراءة بالتشريح، Notiones Hippocratis in
anatomia libri quinque , quos Hobaisch vertit.

كتاب علم أرسطوطاليس في التشريح، *De scientia Aristotelis in anatomia libri tres*, quos Honain Arabicos reddidit.

كتاب تشريح الرحم، *Uteri anatomiae liber*, ab Hobaisch Arabicus factus.

كتاب حرکات الصدر والرئة، *De motu thoracis et pulmonum libri tres*, quos Stephanus Basylii filius اصطفى بن بسيط Arabice vertit et Honain a sphalmatibus emendavit.

كتاب عمل النفس، *De animi affectibus libri duo*, quos idem Stephanus vertit, et Honain emendavit in usum filii sui.

كتاب الامثلاء، *Liber de coryza*, ab eodem Stephano versus.

كتاب الادوية المفردة، *De medicamentis simplicibus libri undecim*, quos Honain vertit.

كتاب حرکة العصل tenuis، *Libri duo de motu intestini tenuis*, quos Stephanus vertit et Honain correxit.

كتاب الصوت، *De sonu libri quatuor* ab Honain in gratiam Mohammed Ben Abdullah el-Zajjat (الزيّات) Arabice versi.

كتاب الحاجة الى النبض، *De usu pulsuum liber* ab Honain Arabicus factus.

كتاب العادات، *De consuetudinibus liber* ab Honain versus.

كتاب الحاجة الى التنفس، *De respirationis usu li-*

ber, quem Stephanus vertit; Honain vertit dimidium hujus libri.

كتاب أراء بقراط وفلاطين، *De Hippocratis et Platonis decretis decem libri ab Honain versi.*

كتاب الحركات المجهولة، *De motibus ignotis liber ab Honain versus.*

كتاب منافع الأعضاء، *De usu partium corporis humani libri septemdecim, quos Hobaisch vertit et Honain ab erroribus mundavit.*

كتاب أفضل الهبات، *De praestantissima forma liber, quem Honain Syriace et Arabice vertit.*

كتاب حصب البدن، *De exanthematibus corporis, vertit Hobaisch.*

كتاب سوء المزاج المختلف *Liber de variâ constitutionis perversitate ab Honain versus.*

كتاب الأورام، *Liber de tumoribus, ab Ibrahim Ben Salt versus.*

كتاب المولود لسبعة أشهر *De septimestri partu, ab Honain translatus.*

كتاب المرة السوداء، *Liber de atra bili versus est a Stephano.*

كتاب رذاعة التنفس *De difficultate respirationis libros tres vertit Honain.*

كتاب تقدمة المعرفة *Prolegomena ad scientiam vertit Isa Ben Jahja.*

كتاب الفصى، De venae sectione. Vertit Isa Ben Jahja et interpretatus est Isa et Stephanus.

كتاب الذبول، De marasmo liber, quem Honain vertit.

كتاب صفات لصبي يصرع، De puero epileptico consilium. Vertit Ben el-Salt (بن الصلت) Syriace et Arabice.

كتاب قوى الأغذية، De alimenþorum facultatibus libri tres, quos Honain vertit.

كتاب تدبیر الملطف، Consilium juvans. Vertit Honain.

كتاب الكيموس *Περὶ χυμῶν* verterunt hunc librum de Chymo Hobaisch, et Thabet, et Selmi.

كتاب افكار أرسطوطيون (sic) في مداواة الامراض Ideae Aristotelicae de curandis morbis, liber ab Ishak Ben Honain versus.

كتاب تدبیر بقراط الامراض الاحادية Methodus Hippocratis in morbis acutis. Vertit Honain.

كتاب تركيب ادوية المقابلة للاداء De compositione medicamentorum pro aegrotis (secundum locos?) libri 17 ab Hobaisch versi.

كتاب الترياق الى دسمن De theriaca ad Pisonem liber a Jahja Ben Batrik versus.

كتاب الى تراسبولس Liber ad Thrasybulum ab Honain versus.

كتاب الرياضة بالكرة الصغيرة De parvae pilae exercitio liber ab Honain versus.

كتاب في أن الطبيب الفاضل فيلسوف Quod optimus medicus sit quoque philosophus. Verit Honain.

كتاب كتب بقراءات الصحيفحة De libris Hippocratis genuinis liber a Honain versus.

كتاب الحث على تعلم الطب Admonitio ad medicinam addiscendam liber, quem Hobaisch transtulit.

كتاب مختصر في المرض De medici afflictione. Verit Honain.

كتاب ما يعتقد رأيا De dignitione ex somniis, liber a Thabet versus est.

كتاب الأخلاق Ethicorum libri tres, quos Hobaisch vertit.

كتاب الانتفاع بأدوات Quam utilitatem probi ex inimicis suis capiant. Vertit Hobaisch.

كتاب ما ذكره فلاطن في طيماوس الموجود Quae Plato in Timaeo profert. Viginti libros Honain vertit, tres reliquos Ishak transtulit.

كتاب المحرك الأول لا يتحرك Quod primus movens non movetur. Liber ab Honain versus, nec non ab Isa Ben Jahja et Ishak.

كتاب عدد المقاييس Liber de mensuris (et ponderibus). Hunc librum Stephanus Basyllii filius nec non Ishak verterunt pro Ali Ben Jahja.

كتاب المدخل إلى المنطق Isagoge ad logicam, versa ab Honain.

كتاب تفسير الشافي من كتب ارسطاطاليس Commentarius in secundum librum Aristotelis: libri tres, quos Ishak Ben Honain in linguam Arabicam transtulit.

Dioscoridis opus Arabice versum.

كتاب الحشائش خمس مقالات وأضاف إليها
مقالات في الدواب والسموم وقد قبل
أن المقالتين متاحولان إليه

De plantis libri quinque, quibus auctor duos libros de animalibus et venenis adjecit; sed multi, hos duos libros spurios esse, putant. Omnes libri versi sunt ab Honain aut Hobaisch.

الاسكندر المعروف
بطر الينوس *operibus Arabice versis.*

كتاب علل العين وعلاجها, De oculorum morbis eorumque remediis libri tres, quos auctor libri Fehrest in antiquâ versione vidit.

كتاب البرسام, De pleurite liber ab Ibn Batrik Arabice versus.

كتاب الحيات والديدان التي يتولد في البطن De serpentibus (taeniis) et vermis in intestinis nascentibus. Exstabat antiqua versio hujus libri tempore, quo liber Fehrest scriptus est.

PHILAGRII LIBER IN ARABICAM
LINGUAM TRANSLATUS.

كتاب الى (in cod. lacuna) فيما يعرض للثة والاسنان
De eo quod gingivae et dentibus accidit ; vertit
Abul-Hasan el-Hasani, cuius nomen est *Thabet
B. Ibrahim.*

كتاب في القرباء. De impetiginibus ; vertit Abul-Ha-
san el-Hazani ; sed non ad finem perduxit ver-
sionem.

ORIBASII VERSIONES ARABICAE.

كتاب الى ابنه اسطيات. Liber ad filium suum Sta-
tium ; comprehenditur novem sectionibus et ab Ho-
nain Arabice versus est.

كتاب الادوية المستعملة. De medicamentis , quae in
usu sunt librum Stephanus Basilii filius vertit.
Oribasium praeterea 70 librorum opus reliquise ,
el-Kefti auctor est , quos Honain et Isa Ben Jahja
verterunt.

Honain vertit praeterea Pauli Aeginetae septem
libros « syntagma in medicinam ”
كتاب الكناش في الطب لغوليس الاجانيطي

Ab anonymo translatus est Platonis (a philoso-
pho diversi, a quo Galenus multa depromsit in
operibus suis scribendis) liber de cauterio
كتاب الکی لآفلاطون

Etiam Archigenis liber de natura ho-



كتاب طبيعة الانسان minis ab Anonymo versus est.

Hucusque in eo praecipue versatus sum, ut libros, de medicinâ ex quâcunque lingua Arabice primis Hidjrae tribus seculis versos enumerarem; nunc vero iis respondere decet, qui, plerasque versiones Arabicas medicorum Graecorum ex versionibus Syriacis factas esse, perhibent.

Catalogum librorum translatorum inspiciens, quem exhibuimus, videbis, plurimos libros ab Honain ejusque discipulis Hobaisch et Isa Ben Jahja, atque ejus filio Ishak et ab aliis discipulis Honaini esse versos. De Honain vero hoc dicit el-Fehrest (1) et omnes alii auctores:

Honain بن اسحاق العبادی ویکنی ابا زید . حنین بن اسحق العبادی ویکنی ابا زید Ben Ishak el-Jbadi a filio suo Abu Zaid cognominatus est Ibad (عبداد) Christianum Hireensem significat. Honain fuit peritus in medicinâ et disertus in linguâ Arabica, Syriaca et Graeca. Libros antiquos colligendi causa, itinera fecit, quibus etiam in imperium Graecum pervenit (el-Kefti eum etiam Fars perlustrasse scribit). Plurimos versiones suas in usum filiorum Musae fecit. Mortuus est 185 A. H.

Idem auctor scribit de Ishak Honaini filio, patrem a filio linguarum peritiâ superatum esse; de Hobaisch vero testatur, Honainum laudasse ejus versiones. De omnibus autem notum est, eos Graecae linguae fuisse Gnaros et graeca habuisse originalia.

(1) Vol. III. pag. 199.

Error in eo latet, quod, qui hac de re scripserunt literarum Arabicarum ignari, aut Syris nimis faventes (ut Casiri et Assemani, uterque Syrus) Honain et ejus discipulos *Syros* fuisse, dicant, quia Christiani fuerunt. Sed res non ita se habet. Hirienses et origine et linguâ purissimi fuerunt Arabes; sed in collegio urbis Hira linguam Graecam et Syriacam discebant, quod ex historia victoriarum Iracae et Persiae discimus (Cod. Paris. anc. fonds 623): cum Hira sub Abu-Bekr expugnata esset, multos ibi studiosos Mohammedani invenerunt, quos Muslemos factos interpres fecerunt. Sed non nego, quasdam versiones ex versionibus Syriacis esse factas.

Sub finem opusculi mei summam eorum, quae dixi repetere liceat: Arabes victoriosi redeuntes Basram et Kufam subactâ Persiâ praeter Theologiam studio linguae Arabicae sese dederunt. Rem vero ita instituerunt, ut omnia cujuscunque rei nomina ex variis tribubus colligerent, et, quas ex ore sociorum Mohammedis acceperant traditiones, adderent. Haec nomina atque traditiones explicabant atque proverbiis locisque poeticis ornabant.

Tali modo libros scribebant de nominibus plantarum, de nominibus arborum, de nominibus morborum etc.

In his libris itaque multa ex sapientia Arabum priscorum conservata sunt. In medicinâ vero et aliis scientiis, qui in Irak erant (in his familia postea Banu Abbas vocata) praecipue Persis atque Hiriensisbus utebantur, qui in Syria et Aegypto degebant (ut familia Omajidarum Graecis usi sunt). Ab-

basidae vero rerum potiti literatos omnium nationum ad aulam vocaverunt, ut ex praemissis patet. Graecorum literis vero maxime studebatur, quia maximum librorum numerum habebant.

TANTUM.

Pag. 3. lin. 3. loco Djesm lege Tasm (پنڈ).
Ad pag. 13 Liber ۱۰۰ idem esse videtur ac Sas-
rutas, Ayurvedas, quem Hessler e lingua San-
scriticâ latine versurus est.

THESES.

I.

Sine morborum geographiae et historiae cognitione pathologia lusca est.

II.

Character epidemicus morborum generationi equivocae respondet (contraria enim, qualia sunt *mori* et *nasci*, secundum sententiam Aristotelicam, re sunt eadem, et non nisi specie sibi opposita).

III.

Hanc ab caussam magnae epidemiae ad delta magnorum fluminum oriuntur, ubi plurima genera animalium primo creata esse, verosimile est.

IV.

Plerique morbi epidemici temporum lapsu characterem contagiosum induunt.



V.

Contagium enim cum generatione sexuali compa-
randum est. Generatio vero ex voluntate viri post
generationem spontaneam accidit.

VI.

Miasmata materialia esse nego.

VII.

Quae in crisi morborum inflammatoriorum ex
corpo urinis, sputis, alyo etc. ejiciuntur, non sunt
caussa morbi, sed productum.

VIII.

Hominem non ad agriculturam et vitam quietam,
sed potius ad nomadicam esse destinatum, ex phy-
siologia, pathologia et ex ethica clarum est.

IX.

Quia igitur vita urbana est artificialis, arte opus
est ad sanitatem tuendam. Haec est medicinae origo
et incrementum.

X.

Coitus inter amantes sanitati et moralitati confert.

XI.

Sed omnis usus venereus, quo non amore fruiatur
homo, nocet.

XII.

Chylus praecipue lymphā inquilinā, ex omni corpore confluente, in sanguinem mutatur.

XIII.

Versiones Arabicae multum ad intelligendos et restituendos autores medicos Graecos conferunt.

XIV.

Arabes materiam medicam experientiis Persarum et Indorum augmentaverunt.



9039

- 10 -

112

— 10 —
— 11 —
— 12 —

113

— 11 —
— 12 —
— 13 —

114

— 12 —
— 13 —
— 14 —

D Pt 35

ULB Halle
001 171 78X

3/1



